

Bibliothèque numérique

medic@

**Ducos, Jean-Jacques-Jérôme -
candidat / Petit-Radel, Philippe -
président. - An Chylosi promovendae,
Tritus ?**

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°88***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0088](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0088)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA,


QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-
septimâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXIII.*

M^o. PHILIPPO PETITRADEL, Doctore Medico,
Præsîde.

An Chylosi promovendæ, Tritus?

I.

EA est corporis humani fors & conditio, ut semper ad interitum ruat:
Quibus legibus conservatur, iidem sensim labefactatur. Causæ sunt non
solum materiæ æthereæ poros & liquores permeantis actio, sed & perpetui



solidarum sanguinisque & spirituum motus. Adde necessaria mentis & corporis munia, quæ dum corpus exercent, deterunt. Interim particularum per cutis poros perenniter effluentium, cæterarumque per varios ductus excernendarum jacturâ, perpetuum imminet animali œconomiae exitium. Hæc alimentis resarcienda venit. His contrâ mortem luctamur, aut saltem ei moras injicimus. Duplicis generis assumuntur, solida & liquida: ad ea assumenda duplici sensu, quasi totidem stimulis, fame nempe & siti impellimur. Ea autem neque per vasa distribui, neque ad nutriendum apta fieri poterunt, nisi prius in chylum convertantur.

I I.

CHYLUS tenuis fluidaque substantia, magnæ elaborationis opus. In hunc transit alimentorum purissima & defœcatissima pars plurimorum liquorum mixturâ, multarumque partium tritu & actione subacta. Quanti momenti sit chyli confectio, vel ex hoc uno conjice; ab eo reparatur sanguis, fons uberrimus, undè promanant humorum elapsorum, & partium abrafarum supplementa; nempe gelatinosa portio, suum cuique humori, parti cuique succum idoneum promit & suppeditat. Sed quî humor solidas partes regenerat? In vasis perpetuo humorum nisu sensim elongatis attenuatisque vacuola relinquuntur. In hæc particulæ mole congruentes deferuntur, penetrant, applicantur. Jam minima quæque superficies undequaque intersitia tangit; sic nova corpuscula ad figuram meatuum se fingunt & accommodant, & cum iis firmâ conjunctione coalescentia incuneantur. Demùm ipsam partis nutriendæ naturam & formam induunt. Itâ quod prius erat fluidum in consistens corpus abit; & cum ipso solido unum efficitur. Quæris hic effectus undè pendeat potissimum? In promptu sunt tum cordis pullus, tum arteriarum ictus & constrictiones. Adest vasorum omnium systolica vis, & continua particularum sese jugiter impellentium trudentiumque successio. His fluidorum cohæsiō cum solidis, atque indè in ipsa solida conversio promovetur. Itâ intelliges iisdem quæ peperere causis, detrimenta corporis non sine admirabili Creatoris providentiâ relataciri.

I I I.

INTER officinas in quibus chylus elaboratur, nobilem locum obtinet ventriculus. In eo siquidè dissolvuntur alimenta. Quâ arte dissolvantur, interrogas? Motum ventriculi peristalticum attende. Hunc habet à musculosâ tunicâ, quæ fibris varii generis compingitur. Plurimæ à fibris juxta œsophagi longitudinem decurrentibus propagantur; quædam scilicet directè per superiora protensæ, quædam obliquè per hujus latera descendunt. Inter has, quæ per sinistram latum propagantur arcum more fibras subjacentes intersecant. Præcipua autem fibrarum species circularium nomine insignitur, quod quasi totidem circuli ventriculum in orbem cingant & ambiant. Hæ superficiem universam amplectuntur; circâ pylorum glomerantur densissimè. Motum ventriculi proprium juvant alia organa, ipsum & cæteras partes succi nutritii præparationi & distributioni inservientes alternis vicibus comprimentia. Diaphragma & abdominis musculos intellige, quorum ope perennibus intervallis subiguntur ac teruntur. alimenta. Sed quorsum, inquires, motus ventriculi; non aliâ arte diversas ciborum partes accuratius cum liquoribus in ventriculo contentis misceri, aut ab iis æquabiliter imbui conjicias. Sic aliquatenus aqua saponacea panni linei manibus vel palmulâ compressi intervalla subit, fordes ab iis deturbatura. Quin & attendas succi per

3

nervos affluentis copiam. Is fibras in motum adigit, liquoribus vim audit; hinc facilius esse solet digestio. Quid si aer in alimentis contentus vi sua elasticâ ad dividendas eorum partes inserviat? Quid si liquor gastricus ad emollienda, separanda, disjungenda, atque etiam incidenda alimenta comparatus esse videatur? His inchoatur feliciter in ventriculo chylosis, ipsius motu non parùm promota. Hic lenitèr contenta succutiens, & partitis vicibus modò hâc, modò illâc impellens, ea liquidis omni ex parte penetrandâ & dividenda objicit. Hujusmodi tritum (nec enim majori opus) in homine perutilem indicat petita ex variâ ventriculi animantium fabricâ comparatio.

I V.

QUÆ non ruminant ut equi, uno quidè m at valido illo & musculofo ventriculo gaudent. In ruminantibus multiplex tritus apparatus. Quædam ut bos, ovis, quatuor ventriculis instruuntur. In primo seu magno ventre receptum aliquandiù pabulum, hujus postea fibrarum repetito succussu, concurrente motu diaphragmatis, in œsophagum remittitur. Hinc duplex fibrarum ordo in modum spiræ contorturum valdè contractilem efficit. Per eum rudiores boli ad os denuò mandendi, dentibusque contudendi validiùs, transmittuntur. Hinc salivæ copiâ quàm maximâ imbuti in reticulum decidunt, cujus interna superficies quasi cancellata, favi cellulas, sed irregulares exhibet. Earum parietes pabulo incidendo aptissimi, mordaci asperitate, quâ ferrarum dentes æmulantur. Deindè intrâ folia omasi tanquàm torcularis cujusdam compressum & attritum, potu per aquæductum advecto diluitur, & diutiùs asservatum reciproco delimatur apicum affricu. Postremò indè vi contractionis expulsum in abomasum effluit; ibi fibrarum blando motu agitur, & liquoris per glandulas affusi accessu perficitur. In avibus ventriculum carneum reperies. Hic quatuor constat musculis. Duo laterales valdè crassi, durâ & callosâ membranâ intus operiuntur. Hi sese invicem comprimunt, ut si palmæ motibus perpetuis alternisq; arctè jungantur, distrahantur-vè. Sic conteruntur cerealia à liquido tum ex ore, tum ex bulbo glanduloso copiosius manante irrigata. Imo insectis quæ nemo spernat, qui benè noverit (nam vel in minimis & artificium & artificem suspicias) plures etiam obtigere ventriculi. Exemplo sint talpa Imperati & alia in quibus tres occurrunt. Piscium verò multorum fauces, palatum, dentium quâdam armaturâ, quorundam ventriculi eadem muniuntur. Quot in organorum varietate, tritus instrumenta digestioni alloborant!

V.

QUOD analogia ex variis animalibus desumpta suadet, id sola chyli in homine ad sanguinem via, seu potiùs partium huic famulantium actio abundè confirmat. Alimenta primùm in ore dentibus fracta & contrita, salivâ uberius perfusa, linguæ motu circumacta & ad fauces propulsa, œsophagi compressivâ contractione in ventriculum delabuntur. Ibi à fibris muscularibus versantur, agitantur, premuntur, pinguntur, in eâ interim agente vividius ventriculi liquore. Observa pariter in intestinis vermicularem motum: hujus ope chylus cum variis liquidis, præsertim in duodeno, committitur. Insuper alternantibus & reciprocis respirationis motibus perpetuò subigitur. Lacteorum oscula in papillas intimæ intestinorum tunicæ hiantia, subit? (Eas in villorum familiâ ne reponas) tunc viarum angustis magis ac magis attenuatur. At quem

4

tritum in globosis mesenterii glandulis reperias ? Imo ibi id millenas guttulas dividitur. Nec solum copiosis scaturientis inde lymphæ rivis dilui putes. Motricium præterea fibrarum elatere agitur, impellitur, acceleratur. Ubi autem ad lumbare receptaculum appulit (hujus figura ab animantibus in homine discrepat) fibrarum diaphragmatis inferiorum contractione pressus, verberatus, in canalum thoracicum repetitis truditur ictibus. Demum arteriæ magnæ cui incumbit, & ipsius quos præterlegit ramorum impulsionibus, quasi totidem oscillis, valvularum adminiculo sublevatus, tunditur magis ac conteritur.

Ergo chylosi promovendæ, Tritus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|--|--|---|
| M. Joseph, Ignat. GUILLOTIN. | M. Joannes-Augustinus COU-
TAVOZ , Chirurgiæ, latino
Idiomate Professor. | M. Benjaminus LUCAS DE
LAUREMBERT. |
| M. Carolus-Jacobus-Ludovicus
COQUEREAU , Serenissimi
Condæ Principis Medicus
ordinarius, necnon Regis apud
peditatum tum Gallicum tum
extraneum Consiliarius Me-
dicus. | M. Joannes-Baptista-Eugenia
DUMANGIN, | M. Ludovicus-Guillelmus LE
MONNIER , Consiliarius Me-
dicus Regis ordinarius Pri-
marius, Regiarum Parisien-
sis, Londinensis ac Beroli-
nensis Academiarum Socius,
& in Horto Regio Botanicæ
Professor ac Demonstrator. |
| M. Franc.-Maria LEMOINE. | M. Thomas LEVACHER
DE LA FEUTRIE , antiquus
Facultatis Decanus, | M. Laurentius FERRET , Ec-
clesiæ Cameracensis Canoni-
cus, |

Proponerebat Parisiis **JOANNES-JACOBUS-HIERONYMUS DUCOS**, Noga-
rolensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA AB MERIDIEM.



Typis **QUILLAU**, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.